

tiæ loco abolendam Cæsarium memoriam, ac diruenda templa censuerunt. Obseruatum autem, notatumq; est in primis Cæsares omnes, quibus Caij prænomen fuit, ferro perijsse iam inde ab eo, qui Cimnani temporibus sit occisus.

## C SVETONII TRAN- QVILLI

D. Claudius Cæsar.

De patre Claudij & eius gestis.



A T R E M Claudij Cæsaris Drusum, olim Decimum, mox Neronem prænomine, Liuia cū Augusto grauida nupsisset, intra mensem tertium peperit. Fuitq; suscipio ex uitrice per adu-

terij consuetudinem procreatum. Statim certè uulgatus est uersus:

Senarius  
Iambicus.

Τὸν αὐτοχόουτος τριμνα πωδία.

Is Drusus in quæstura, præturæq; honore, dux Rhetici, deinde Germanici belli, oceanum septentrionalè primus Romanorum ducum nauigauit trans Rhenum fossas noui & immensi operis effecit, quæ nunc adhuc Drusinae uocantur. Hostem etiam frequenter cæsum, ac penitus in intimas solitudines actum, non prius

D. CLAVDIUS CAESAR. 297

prius destitit insequi, quàm species barbara mulieris  
 humana amplior, uictorè tendere ultra sermone La-  
 tino prohibuisset. Quas ob res ouandi ius, & trium-  
 phalia ornamenta percepit. Ac post præturam con-  
 festim inito consulatu, atq; expeditione repetita, su-  
 premum diem morbo obiit, in aestiuis castris, quæ ex  
 eo scelcrata sunt appellata. Corpus eius per municipi-  
 piorum, coloniarumq; primores, suscipiètibz obuijs  
 scribarum decurijs, ad urbem deuectum, sepultumq;  
 est in Martio campo. Caterum exercitus honoratū  
 ei tumulum excitauit: circa quem deinceps statò die  
 quotannis miles decurreret, Galliarumq; ciuitates  
 publicè supplicarēt. Præterea Senatus inter alia com-  
 plura, marmoreum arcum cum trophæis uia Appia  
 decreuit, & Germanici cognomen ipsi posterisq;  
 eius. Fuisse autem creditur non minus gloriosi, quàm  
 ciuili animi. Nā ex hoste super uictorias optima quo-  
 que spolia captasse, summoq; sepius discrimine du-  
 ces Germanorū tota acie infectatus, nec dissimulasse  
 unquā pristinum se reipub. statū † quādo cunq; pos-  
 set, restituruū. Vnde existimo nonnullos tradere au-  
 sos, suspectum cum Augusto, reuocatūq; ex pro-  
 uincia: & quia cunctaretur, interceptum ueneno.  
 Quod equidē magis, ne prætmitterē, retuli, quàm  
 quia uerum aut uerissimile putem: cum Augustus tan-  
 toperè & uiuum dilexerit, ut cohæredem semper  
 filijs



filij instituerit, sicut quōdam in Senatu, professus est, et defunctum ita pro cōcione laudauerit, ut deos precatus sit similes ei Cæsares suos facerent: sibiq; tam honestum quandoq; exitū darēt, quā illi dedissent. Nec contentus, elogium tumulo eius uersibus compositis à se insculpsisse, etiam uitæ memoriā prosa oratione composuit. Ex Antonia minore complures quidem liberos tulit, uerū tres omnino reliquit, Germanicum, Liullanum, Claudium.

τοῖς τριῶν ἄνδρων Id est, fortunatis & trimestres filij. Natiuitas Claudij & eius infantia. CAP. II.

**C**laudius natus est, Iulio Antonio, Fabio Africano COSS. Cal. Augustis, Lugduni, eo ipsa die, quo primum ara ibi Augusto dedicata est appellatusq; Tiberius Claudius Drusus. Mox fratre maiore in Iuliam familiā adoptato, Germanici cognomen assumpsit. infans autem relictus à patre, ac per omnem ferè pueritiæ atq; adolescentiæ tempus, uarijs & tenacibus morbis conflictatus est, adeo ut animo simul & corpore hebetato, ne progressa quidem ætate, ulli publico priuatoq; muneri habilis existimaretur. Diu etiam atq; post tutelam receptam, alieni arbitrij & sub pædagogico fuit: quem barbarum, et olim superiumentarium, ex industria sibi appositum, ut se quibuscunq; de causis quā sc̄uisimè coëceret, ipse quodam libello conqueritur. Ob hanc eandem uoletudinem,

linem, et gladiatorio munere, quod simul cum fratre  
 memoriae patris edebat. palliolatus nouo more praese-  
 dit: et togae uirilis die circa mediam noctem, sine so-  
 lenni officio lectica in Capitolium latus est.

Opera eius circa liberalis disciplinas.

## CAP. III.

**D**isciplinis tamē liberalibus ab aetate prima nō  
 mediocrem operam dedit, ac saepe experimē-  
 ta cuiusq; etiam publicauit. Verū ne sic quidē quic-  
 quam dignitatis assequi, aut spem de se commodiorē  
 in posterum facere potuit. Mater Antonia portentū  
 eum hominis dictitabat, nec absolutum à natura, sed  
 tantum inchoatum: ac si quem socordiae argueret,  
 stultiorē aiebat filio suo Claudio. Aua Augusta pro-  
 de spectissimo semper habuit, non affari, nisi rarissi-  
 me, non monere, nisi acerbo et breui scripto, aut per  
 internuncios solita. Soror Liulla cum audisset quan-  
 doq; imperaturum, tam iniquam et tam indignam  
 sortem populo Romano, palam et clarè detestata est.  
 Nam et auunculus maior Augustus quid de eo in u-  
 tranq; partem opinatus sit, quò certius cognoscatur,  
 capita ex ipsius epistolis posui.

Epistola Augusti ad Liuiam, de testimonio Claudij.

## CAP. IIIL.

**C**ollocutus sum cum Tiberio, ut madaſti mea Li-  
 uia, quid nepoti tuo Tiberio faciundum esset  
 ludis



ludis Martialibus. Consentit autem uterq; nostrum  
semel esse nobis statuendum, quod consilium in illo se  
quamur. Nam si est ἄρτι (ut ita dicam) δλόκλη-  
ς, quid est, quod dubitemus, quin per eosdem arti-  
culos et gradus perducendus sit, per quos frater eius  
perductus fuit: Sin autem ἐλα τῶ ὄρου sentimus eū,  
ἢ βεβλάφθα, ἢ εἰς τὴν τῶ σώματι, ἢ εἰς  
τὴν τῆς ψυχῆς ἀρτιότητά, præbenda materi deri-  
dendi & illū, & nos nō est hominibus: τὰ τοιαῦτα  
σκόπερον ἢ κινηρίζον ἐιωθότι. Nā semper astua-  
bimus, si de singulis articulis temporū deliberabimus  
μὴ προκειμενον ἡμῖν, posse arbitremur eum ge-  
rere honores, nec'ne. In præsentia tamen quibus de  
rebus consulis, curare eum ludis Martialibus triclini-  
um sacerdotum, non displicet nobis, si est passurus se  
ab † Syllani filio, homine sibi affini admoneri, ne  
quid faciat, quod cōspici et derideri possit. Spectare  
Circēses eū ex pulvinari, non placet nobis. Expositus  
enim in prima fronte spectaculorum conspicietur. In  
Albanum montem ire eum, non placet nobis, aut esse  
Romæ Latinarum diebus. Cur enim nō præficatur ur-  
bi, si potest fratrem suū sequi in montem? Habes nos-  
tras mea Livia sentētias, quibus placet semel de tota  
re aliquid constitui, ne semper in spem & metum flu-  
ctuemus. Licebit autē si uoles, Antonie quoq; nostræ  
des hanc partem epistolæ huius legendam, † Rursus  
alteris

† Al. Silua  
ni.

† Al. Item.

alteris literis: Tiberium adolescentem ego uerò, dñ tu aberis, quotidie inuitabo ad cœnam ne solus cœnet cum suo Sulpitio, et Athenodoro: qui uellem diligentius, & minus μετέωρος diligeret sibi aliquē, cuius motum, & habitū, & incessum imitaretur misellus: Senarius Iambicus.

Α ΤΥΧΗ ΠΑΝΤΟΥ ΤΟΙΣ ΠΡΟΣΒΑΙΟΙΣ ΛΙΑΡ,

ubi nō aberrauit eius animus, satis apparet à τῆς ψυχῆς ἀνωτὸ εὐγένειᾳ, Item tertijs literis: Tiberium ne potem tuum placere mihi declamantē potuisse, peream, nisi mea Livia admiror. Nam qui tam ἀσαφῶς <sup>ἀσαφῶς. ob scure, σαφῶς uerò perspicuū.</sup> loquatur, quī possit cū declamat, σαφῶς dicere? quæ dicenda sunt, non uideo. Nec dubiū est, quin post hæc Augustus cōstituerit, & reliquerit eum nullo præter auguralis sacerdotij honore impertitum: ac ne hæredem quidē, nisi inter tertios, ac penē extraneos <sup>+ Al. &</sup> ex parte sexta nuncuparet, legatosq; non amplius quàm ostigentorum sestertiorum profecutus.

ἄρτιος ἐλόλημ. Id est, perfectus & absolutus, à natura scilicet: alludit ad id quod mater solita fuit dicere inchoatum.

ἐλαττώθη. Diminutum à iusta hominis natura.

βιβάσθη. & c. Hoc est, deprauatum & in corporis & animi perfectione.

τὰ τριῶντα. Hoc est, talia dilacerare & naso suspedere consuetis.

μη προσημι. Id est, nec propositum artem tenobis.

Μετέωρος. (Id est, stolidè.)

ἀτυχῆ πάντων & c. Hoc est, infeliciter agit uehementer in ijs quæ in studijs sunt.



ἡ τῆς ψυχῆς, & c.) Id est, ipsius animi ingenium bene natum.

ἀραφανής. Id est, obscurè.

σαφῆς. Id est, clarè siue apertè.

Honor Consulatus eidem per Tiberium negatus, & secessus eius. CAP. V.

**T**iberius patruus petenti honores, cōsularia ornamenta detulit. Sed instantius legitimos flagitanti, id solum codicillis rescripsit, quadraginta aureos in Saturnalia, & sigillaria misisse ei. Tunc deum abiecta spe dignitatis, ad otium concessit, modò in hortis, & suburbano, modò in Campaniæ secessu delitescens, atq; ex contubernio sordidissimorū hominum super ueterem segnitiae notam, ebrietatis & aleæ quoq; infamiam subiit.

Gratia & fauor eius apud homines.

## CAP. VI.

**C**um interim (quanquam hoc modò agenti) nunquam aut officium hominum, aut reuerentia publica defuit. Equester ordo bis patronum eum perferendæ pro se legationis elegit: semel cum deportandum Romam corpus Augusti humeris suis à COSS. exposcerent: iterum cum oppressum Seianum apud eosdem gratularentur. Quin & spectaculis aduenienti assurgere, & lacernas deponere solebant. Senatus quoq; ut ad numerum sodalium Augustalium sorte ductorium extra ordinem addiceretur, censuit. Et

MOX

mox ut domus ei, quam incendio amiserat, publica im-  
 pensata restitueretur, dicendæq; inter consulares sen-  
 tentia ius esset. Quod decretum abolutum est, excu-  
 sante Tiberio imbecillitatem eius, ac damnum libera-  
 litate sua resarturum pollicente. Qui tamen moriens  
 & in tertijs hæredibus eum ex parte tertia nuncu-  
 patum, legato etiã circa sestertia uices prosecutus,  
 commendauit insuper exercitibus, Senatui, populoq;  
 Romano inter cæteras necessitudines nominatim.

Circa pro-  
 circiter.

Consulatus eius & gesta per eum.

CAP. VII.

**S**ub Caio demum fratris filio secundam existima-  
 tionem circa initia imperij omnibus lenocinijs  
 colligente, honores auspiciatus, consulatum gessit unã  
 per duos menses. Euenitq; ut primitus ingrediens  
 cum fascibus forum, præteruolans aquila dexte-  
 riore humero consideret. Sortitus est & de altero  
 consulatu in quartam annum. Præseditq; nonnun-  
 quam spectaculis in Caij uicem, acclamante populo  
 feliciter, partim patruo imperatoris, partim Germa-  
 nici fratri.

Secunda  
 existima-  
 tio, pro fa-  
 ma prof-  
 pera.

Contumeliæ eidem per ludum illatæ.

CAP. VIII.

**N**ec eo minus contumelijs obnoxius uixit. Nã  
 etsi paulò serius ad prædictam cœnæ horam  
 occurrisset, non nisi ægrè, & circuito demum triclina-



304  
al addor  
misceret.

C. SVETONII TRANQ.

nio recipiebatur. Et quoties post cibum † obdormis-  
ceret (quod ei ferè accidebat) olearum, ac palmula-  
rum oſibus inſeſſebatur: interdum ſerula ſlagrone,  
uelut per ludum excitabatur à tropeis. Solebant &  
manibus ſtertentis ſocci induci, ut repente experge-  
factus faciem ſibi conſfricaret.

A tropeis.) Hoc eſt, illis qui uellicant & infeſti  
ſunt alijs, ne deprehendantur uertunt ſe.

Discrimina que paſſus eſt. CAP. IX.

**S**Ed ne diſcriminibus quidè caruit: primū in ipſo  
conſulatu, quòd Neronis & Druſi fratrum Cæſa-  
ris ſtatuas ſegnius locandas, ponendasq; curaſſet, pe-  
nè honore ſubmotus eſt. Deinde extraneo, uel etiam  
domeſticorum aliquo deſerente, aſſiduè, uarieq; in-  
quietatus. Cum uerò detrecta eſſet Lepidi, et Getulici  
coniuratio, miſſus in Germaniã inter legatos ad gra-  
tulandum, etiam uitæ periculum adiit. Indignante ac  
fremènte Caio, patruū potiſſimum ad ſe miſſum, quaſi  
ad puerum regendum, adè ut non deſuerint, qui tra-  
derent, præcipitatum quoq; in flumen, ſicut ueſtitus  
aduenerat. Atq; ex eo nunq̄ non in Senatu nouiſſimus  
conſularium ſententiam dixit, ignominie cauſa poſt  
omnes interrogatus. Etiam cognitio falſi teſtamenti  
recepta eſt, in quo & ipſe ſignauerat. Poſtremò eti-  
am ſextertia octogies pro introitu noui ſacerdotij co-  
actus impendere, ad eas rei familiaris anguſtias deci-  
dit, ut

dit ut cum obligatam arario fidem liberare non posset, in uacuum lege praedatoria uenalis pependerit sub edicto praefectorum.

Praedatoria. Est lex quae lata de praedijs est.  
Initium imperij Claudij. CAP. X.

**P**er haec ac talia maxima aetatis parte transacta, quinquagesimo anno imperium cepit, quantumuis mirabili casu. Exclusus inter ceteros ab insidiatoribus Caij, cum quasi secretum eo desiderante turbam submouerent, in diatam, cui nomen est Hermeum, recesserat. Neq; multo post rumore caedis exterritus prorepit ad solarium proximum, interq; praetenta foribus uela se abdidit: latentem discurrens forte gregarius miles animaduersis pedibus e studio suscitandi quisna esset, agnouit, extractumq; et praematu ad genua sibi accidentem imperatorem salutauit.

Hinc ad alios commilitones fluctuantes, nec quicquam adhuc quam frementes perduxit. Ab his lecticae impo-  
situs, et quia serui diffugerant, uicissim succollantibus in castra delatus est, tristis ac trepidus, miserante obuia turba, quasi ad poenam raperetur insons. Receptus intra uallum, inter excubias militum pernoscit, aliquantò minore spe, quam fiducia. Nam Consules cum Senatu, et cohortibus urbanis forum, Capitoliumq; occuparunt, asserturi communem libertatem, accitus que et ipse per Tribunum plebis

Nec quicquam, pro tantum.  
+ ali. sui.  
Succollant, collo supposito fulcire.



in curiam ad suadenda, que uiderentur, uise & necessitate teneri resstodit. Postero uero die Senatu sen-  
 gniore in exequendis conatibus per toedium ac dis-  
 sensionē diuersa consentiū, & multitudine, que cir-  
 cūstabat, unum rectorem iam & nominatim expos-  
 cente, armatos pro concione iurare in nomen suum  
 passus est, promisitq; singulis † quinquadena H. S. pri-  
 mus Caesarum fidem uulitis etiā premio pigneratus.  
 Succollātibus.) Id est. collo supposito sulciētib.  
 Pigneratus.) Id est. factō certo stipulatus.

† Al. quin-  
 dena.  
 Pignera-  
 tus, p sti-  
 pulatus, si  
 ac pactus.

Gesta per eum in initio principatus.

CAP. XI.

**I**mpério stabilito nihil antiquius duxit, quàm id  
 biduum quo de mutādo Reipublice statu hæsitati  
 erat, memoriæ eximere. Omnium itaq; factorum dē-  
 storūq; in eo ueniam & obliuionem in perpetuum  
 sanxit ac præstitit, Tribunis modò ac centurionibus  
 paucis è coniuratorū in Caium numero interemptis,  
 exempli simul causa, & quòd suam quoq; cædem de-  
 poposcisse cognouerat. Cōuersus hinc ad officia pie-  
 tatis, iusurandum neq; sanctius sibi, neque crebrius  
 instituit, quam per Augustum. Auæ Liuiæ diuinos  
 honores, & Circensi pompa currum elephantorum  
 † Augusto similem decernendum curauit. Paren-  
 tibus inferias publicas, & hoc amplius patri Cir-  
 censes annuos natalis die matri carpentum, quo per  
 circum duceretur, & cognomen Augustæ, ab auia

† A. Augu-  
 stino.

recusatum, ad fratris memoriam per omnem occasio-  
nem celebratam. Comœdiam quoq; Græcâ Neapoli-  
tano certamine † dedit, ac de sententia iudicum co-  
ronauit. Ne Marcum quidem Antonium inhonora-  
uit, ac sine grata mentione transmisiit testatus quô-  
dam per edictum tanto impēsius petere se, ut natalē  
patris Drusi celebrarent, quòd idem esset & aui sui  
Antonij. Tiberio marmoreum arcum, iuxta Pompeij  
theatrum, decretum quidem olim à Senatu, uerum o-  
missum, peregit. Caij quoq; etsi acta omnia rescidit,  
diem tamen necis, quamuis exordiū principatus sui,  
uictui inter † fastos referri.

\* Al. festos  
sive fastos.

Honores per eum spreti, & alia ciuilia gesta eius.

CAP. XII.

**A**C in semet augendo parcus, atq; ciuilis, præ  
nomine imperatoris abstinuit, nimios hono-  
res recusauit, spō alia filie, natalemq; geniti nepotis  
silentio, ac tantū domestica religione transegit. Ne-  
minem exulum nisi ex Senatus auctoritate restituit, ut  
sibi in curiam præfectum prætorij, tribunosq; militū  
secum inducere liceret, utq; rata essent, quæ procura-  
tores sui in iudicando statuerēt, præcario exegit. Ius  
bundinarum in priuata prædia à Consulibus petijt:  
cognitionibus magistratum, ut unus è † consiliarijs  
frequenter interfuit. Eosdem spectacula edentes, sur-  
gens et ipse cum cætera turba, uoce ac manu uenera-

\* Al. consi-  
laribus.



tus est. Tribunus plebis aduentibus se pro tribunali excusauit, quod propter angustias non posset audire eos nisi stantes. Quare in breui spatio tantum amoris fauorisque collegit, ut cum profectum cum Hostiam perijisse ex insidijs nunciatum esset, magna consternatione populus & militem quasi proditorem, & Senatum quasi parricidam diris execrationibus incessere non antea destiterit, quam unus atque alter, & mox plures à magistratibus in rostra producti, saluum & appropinquare confirmarent.

Insidiæ & coniurationes contra eum factæ.

## CAP. XIII.

**N**ec tamen expers insidiarum usquequaque permansit, sed & à singulis, & per factiorem, & denique ciuili bello infestatus est. E plebe homo nocte media iuxta cubiculum eius cum pugione deprehensus est. Reperti & equestris ordinis duo in publico cum dolone, ac uenatorio cultro, præstolantes, alter ut egressum theatro, alter ut sacrificantem apud Martis ædem adoriretur. Conspirauerant autem ad res nouas Gallus Asinius, & Statilius Coruinus Pollionis ac Messalæ oratorum nepotes, assumptis compluribus libertis ipsius, atque seruis. Bellum ciuile mouit Furius Camillus Scribonianus Dalmatiæ legatus: uerum intra quintum diem oppressus est, legionibus, quæ sacramentum mutauerant, in poenitentiam

Dolus, gladiolus.

tiam religione conuersis, postquam denunciato ad nouum imperatorem itinere casu quodam, ac diuinitus, neq; aquila ornari, neq; signa conuelli moueriq; potuerunt.

Dolone, ac uenatorio cultro.) Dolones sunt pugiones in baculo ligneo tecti, ut non uideantur: à dolo dicti sunt. In prælijs usus erat huius gladij, & in peregrinationibus hodie utuntur.

Consulatus eius, & gesta in eis.

CAP. XIII.

Consulatus super pristinum quatuor gessit. Ex quibus duos primos iunctim, sequentes per interuallum, quarto quenque anno, semestrem nouissimum, bimesires ceteros. Tertium autem nouo circa principem exemplo in locum demortui successit. Ius et Consul et extra honorè laboriosissimè dixit, etiam suis, suorum que diebus solennibus, nonnunquam festis quoque antiquitus & religiosis. Nec semper præscriptam legum secutus duritiam, lenitatem uel multarum, ex bono & æquo perinde ut afficeretur, moderatus est. Nam & ijs, qui apud priuatos iudices plus petendo formula excidissent, restituit actiones, & in maiore fraude conuictos, legitimam pœnam supergressus, ad bestias condemnauit.

Varietas eius in cognoscendo, & sententiando.

CAP. XV.



**I**N cognoscendo autem, ac decernendo mira uarietate animi fuit, modo circumspēctus et sagax, modo inconsultus ac p̄ceptus, nonnunquam friuolus, amentiq; similis. Cum decurias rerum actis expungeret, cum qui dissimulata uacatione quam beneficio liberorum habebat, responderat, ut cupidum iudicandi dimisit. Alium interpellatum ab aduersarijs de propria lite, negantemq; cognitionis rē, sed ordinarij iuris esse, agere causam confestim apud se coegit, proprio negotio documentum daturum, q̄ æquus iudex in alieno negotio futurus esset. Fœminam non agnoscentem filium suum, dubia utriusq; argumentorum fide ad confessionem compulit, inducto matrimonio iuuenis. Absentibus secūdum p̄sentes facillimē dabat, nullo delectu culpæ, nisi quis in aliqua necessitate cessasset. Proclamante quodam, p̄cedendas falsario manus, carnificem statim acciri cum machera, mensaq; lanionia flagitauit. Peregrinitatis reum, orator inter aduocatos leui contentione, togatumne, an palliatum dicere causam oporteret, quasi æquitatem integrā ostentans, mutare habitum sæpius, et prout accusaretur, defendereturue, iussit. De quodam etiam negotio, ita ex tabella pronunciaſse creditur, secundum eos se sentire, qui uera proposuissent. Propter que uſque eò euiluit, ut passim ac propalam contemptui esset. Excursans quidam testem è prouincia ab eo

uocauit

uocatum, negauit praesto esse posse. Disimulata diu  
 causa, ac post longas demum interrogationes, mortuus  
 est, inquit, puto licuit. Alius gratias agens, quod reum  
 defendi pateretur, adiecit, Et tamen fieri solet. Illud  
 quoque a maioribus natu audiebam, adeo cauidicos pa-  
 tientia eius solitos abuti, ut descendente in Tribunali  
 non solum uoce reuocarēt, sed et lacinia togae retenta,  
 interdum pedes apprehenso retinerēt. Ac ne cui haec  
 mira sint, litigatori Graeculo uox in altercatione ex-  
 cidit, ἢ τὸ γέρον ἐστὶν ἢ μωρόν; id est, et tu senex, et  
 tu stultus es. Equitem quidem Ro. obscenitatis in fo-  
 minas reum, sed falso, et ab imponētibz inimicis co-  
 fecto crimine, satis constat, cum scorta meritoria cita-  
 ri aduersus se, et audiri pro testimonio uideret, gra-  
 phium et libellos, quos tenebat in manu, ita cum ma-  
 gna stultitia, et seuitia exprobratione iccisse in fa-  
 ciem eius, ut genam non leuiter perstrinxerit.

Mensa lanionia. ) In qua caro secatur mensa sic  
 dicitur, non tantum caro quae edendo est, sed etiam  
 carnificis.

ἢ, οὐ γέρον, & c.) Id est, Et tu senex es & stultus.

Scorta meritoria. ) Hoc est, leuissimum mulierum ge-  
 nus, meretrices scilicet, quibus nihil leuius uanitasque est.  
 Officium censurae, et gesta per eum. CA. XVI.

**G**essit et censuram intermissam diu post Paulum,  
 Plancumque censores. Sed hanc quoque in equali-  
 ter, uarioque et animo, et euentu. Recognitione equi-  
 tum iuuenem plenum probri, sed quem pater proba-



tissimum sibi affirmabat, sine ignominia dimisit, ha-  
 bere dicens censorem suum. Alium corruptelis, adul-  
 terijsq; famosum, nihil amplius quam monuit, ut aut  
 parcius et atula indulgeret, aut certè cautius. Addi-  
 ditq; Quare enim ego scio quam amicam habeas? Et  
 cum ornatis familiaribus dempsisset cuidam appo-  
 sitam notam: Litura tamen, inquit, extet. Splendidi-  
 uirum, Græciæq; prouinciæ principem, uerum Latini  
 sermonis ignarum, non modò albo iudicum erasit,  
 sed etiam in peregrinitatem redegit, Nec quencquam  
 nisi sua uoce, utcunque quis posset, ac sine patrono  
 rationem uitæ passus est reddere. Notauitq; multos,  
 & quosdam inopinantes. & ex causa noui generis,  
 quòd se in scio, ac sine comætu Italia excessissent.  
 Quendam uerò, & quòd comes regis in prouincia  
 fuisset, referens maiorum temporibus Rabirio Post-  
 humo, Ptolemæum Alexandriã, crediti seruandi cau-  
 sa secuto, maiestatis crimen apud iudices motum. Plu-  
 res notare conatus, magna inquisitorum negligetia,  
 sed suo maiore dedecore innoxios ferè reperit, qui-  
 buscunq; coelibatum, aut orbitatem, aut egestatem  
 obijceret, maritos, patres, opulentos se probantibus,  
 eo quidem, qui sibimet uim ferro intulisse argueba-  
 tur, illæsum corpus ueste deposita ostentante. Fac-  
 runt & illa in censura eius notabilia, quòd esse dum  
 argenteum sumptuose fabricatum, ac uenale ad sigil-  
 laria

Nihil am-  
 plius q̄  
 pro tantū

laria redimi, cōcidiq; coram imperauit. Quodq; uno die XXX. edita proposuit: inter quæ duo, quorum altero admonebat, ut uberi uinearum prouentu bene dolia picarentur: altero, nihil æquè facere ad uiperæ morsum, quàm taxi arboris succum.

Expeditio eius Britannica & triumphus.

## CAP. XVII.

**E**Xpeditionem unã omnino suscepit, eamq; modestam, cum decretis sibi à Senatu ornamentis triumphalibus leuiorem maiestati principali titulum arbitraretur, uelletq; iusti triumphus decus, unde acquireret, Britanniam potissimum elegit: neque tentam ulli post D. Iulium, & tunc tumultuantem ob non redditos transfugas. Huc cum ab Hostia nauigaret, uehementi Circio bis penè demersus est prope Liguriam, iuxtaq; Stœchadas insulas. Quare à Massilia Gessoriacũ usq; pedestri itinere confecto inde transiit: ac sine ullo prælio aut sanguine inter paucissimos dies parte insule in deditorem recepta, sexto quàm profectus erat mense, Romam rediit, triumphauitq; maximo apparatu. Ad cuius spectaculum commeare in urbem non solum præsulis prouinciarum permisit, uerum etiam exulibus quibusdam, atq; inter hostilia spolia, naualem coronam fastigio Palatinæ domus iuxta ciuicam fixit, traiecti & quasi domiti Occani insigne. Currum eius Messalina uxor carpens



carpento secuta est. Secuti & triumphalia ornamenta eodem bello adepti, sed ceteri pedibus & in praetexta: Crassus frugi equo phalerato, et in ueste palmaria, quod eum honorem iterauerat.

Cura urbis & annonae. CAP. XVIII.

**V**Rbis, annonaeque curam sollicitissime semper egit. Cum Aemiliana pertinacius arderet, in diribitorio duabus noctibus mansit: ac deficiente militum ac familiarium turba, auxilio plebem per magistratus ex omnibus vicis conuocauit: ac positus ante se cum pecunia fisco ad subueniendum hortatus est, et representaturus pro opera dignam cuique mercedem. Arctiore autem annonae ob assiduas sterilitates detentus quondam medio foro à turba, conuiuiisque, ac simul fragminibus panis ita instratus, ut aegre nec nisi postico euadere in Palatium ualuerit. Nihil non ex eo cogitauit ad inueniendos etiam in tempore hyberno conneatus. Nam et negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se dono, si cui quid per tempestates accidisset, et nauis mercaturae causa fabricantibus magna commoda.

Diribitorio. Erat Romae locus in quo numerabatur stipendium militi & exercitus recensabatur, uocabantur qui distribuiebant diribitores.

Vacationes per eum concessae. CAP. XIX.

Beroald.  
legit Pom  
peia.

**C**onstituit pro conditione cuiusque ciuis uacationem legi Papiae Popae, Latinis ius Quiritium, feminis quatuor liberorum, quae constituta hodie seruantur.

Opera

**O**pera magna potius, quàm necessaria, quàm multa perfecit. Sed uel præcipua, aquæ ductû à Caio inchoatum. Item emissarium Fucini lacus, portumq; Hostiensem. Quancquàm sciret ex his alterum ab Augusto precantibus assidue Marsis negatum, alterum à D. Iulio sæpius destinatum, ac propter difficultatem omissum. Claudie aquæ gelidos, & uberes fontes, quorum alteri Ceruleo, alteri Curtio, & Albulino nomen est: simulq; riuum Anienis nouo lapideo opere in urbem perduxit, diuisitq; in plurimos & ornatisimos lacus. Fucinum aggressus est, non minus compendij spe, quàm gloriæ, cū quidam priuato sumptu emissuros se repromitterent, si sibi siccati agri concederentur. Per tria autem passuum millia, partim effosso monte, partim exciso canalem absoluit. Aegre & post undecim annos, quamuis continuus XXX. hominum millibus sine intermissione operantibus, portum Hostiæ extruxit, circumducto dextra sinistraq; brachio, & ad introitū profundo iâ solo mole obiecta. Quam quo stabilius fundaret, nauum antè demersit, qua magnus obeliscus ex Aegypto fuerat aduectus, cōgestisq; pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum nauigia dirigerent. Congiaria populo sæpius distribuit.



Phari.) A Pharo insula Aegypti, à cuius quadam præeminēti turri machinæ illa in portubus, ad præluçedã nauib' extructa, uocãtur phari, Solino teste.

Spectacula per eum edita. CAP. XXI.

**S**pectacula quoq; cõplura magnificaq; edidit, nõ susitata modo, ac solitis locis, sed et commẽtita, & ex antigtate repetita, et ubi præterea nemo ante eũ. Ludos dedicationis Pompeiani theatri, quod ambustum restituerat, è tribunali posito in orchestra cõmisit, cum prius apud superiores ædes supplicasset, perq; mediam caueã sedentibus, ac silentibus cunctis, descendisset. Fecit & seculares, quasi anticipatos ab Augusto, nec legitimo tempori reseruos: quis ipse in historijs suis prodat intermissos eos, Augustũ multo post, diligētissimè annorũ ratione subducta, in ordinẽ redeisse. Quare uox præconis irrisa est inuitãtis more solenni ad ludos, quos nec spectasset, quisquam, nec spectaturus esset, cũ superessent adhuc, qui spectauerant, et quidã histrionũ producti olim, tunc quoq; producerentur. Circenses frequẽter etiã in Vaticano cõmisit, nonnunq; interiecta per quinos missus uenatione. Circo uerò maximo marmoreis carceribus auratisq; metis, quæ utraq; & tophina, ac lignea antea fuerant, exculto, propria Senatoribus cõstituit loca promiscuè spectare solitis. Ac super quadrigarũ certamina Troiæ lusum exhibuit, & Africanas consiçiente turma equitum prætorianorũ, ducibus tribu-

nis,

nis, ipsoq; praefecto. Praeterea Thessalos equites, qui  
 feros tauros per spacia circi agūt, infiliūtq; defessos  
 & ad terrā cornibus detrahunt. Gladiatoria munera  
 plurifariā, ac multiplicia exhibuit. Anniuersariū in  
 castris praetorianis, sine uenatione apparatusq;, iustū  
 atq; legitimū in septis: ibidē per extra ordinariū et  
 breue, dierūq; paucorū, quodq; appellare coepit spor-  
 tulam: quia primū daturum se dixerat, uelut ad subi-  
 tam † condictamq; coenulā inuitare se populum. Nec  
 illo spectaculi genere cōmunior aut remissior erat,  
 adeo ut oblatos uictoribus aureos prolata sinistra  
 pariter cū uulgo uoce, digitisq; numeraret: ac saepe  
 hortando, rogandoq; ad hilaritatē homines prouoca-  
 ret, dominos identidē appellans, immixtis interdū frī-  
 gidis & accersitis iocis. Qualis est, ut cū palumbū po-  
 stulantibus daturum se promissit, si captus esset. Illud  
 quoq; planē quantumuis salubriter, & in tempore,  
 cum essedario, pro quo quatuor filij deprecabantur,  
 magno oīm fauore indulfisset, rudem tabulam ilico  
 misit, admonens populum, quantoperē liberos susci-  
 pere deberet, quos uideret & gladiatori praesidio  
 gratiaq; esse. Edidit et in Martio cāpo expugnatio-  
 nem, direptionemq; oppidi ad imaginē bellicā & de-  
 ditionem Britāniæ regū, praeseditq; paludatus. Quin  
 et emissurus Fucinum lacum, naumachiam ante cōmi-  
 sit. Sed cū proclamantibus naumachiarijs, Aue im-  
 perator,

† Alj, con-  
 ditam.  
 Cōmunis,  
 pro nō sin-  
 gularis,  
 aut nō ex-  
 quisitus.

Indulsi-  
 set, pro an-  
 nuisset.



perator, morituri te salutant, respōdisset: Aucte uos,  
neq; post hanc uocē, quasi uenia data quisquam dimi-  
care uellet diu cunctatus, an oēs igni, ferroq; absume-  
ret, tandem è sede sua prosiluit, ac per ambitum la-  
cus non sine fœda uacillatione discurrens, partim mi-  
nando, partim adhortādo ad pugnā cōpulit. Hoc spe-  
ctaculo clas̄is Sicula et Rhodia concurrerunt, duode-  
narum triremium singule, exciente buccina Tritone  
argenteo, qui è medio lacu per machinam emerferat.

Anticipatos. Id est, ante iustum tempus factos.

Institutio, correctio, & ordinatio quorundam  
morum & actuum. CAP. XXII.

**Q**uedam circa ceremonias, ciuilemq; & mili-  
tarem morem, item circa omnium ordinum sta-  
tum, domi forisq; aut correxit, aut exoleta reuoca-  
uit, aut etiam noua instituit. In cooptandis per colle-  
gia sacerdotibus, neminē nisi iuratus nominauit, ob-  
seruauitq; sedulo, ut quoties terra in urbe mouisset,  
ferias aduocata concione Prætor indiceret: utq; ob-  
dura aut in urbe, aut in Capitolio uisa, obsecratio ha-  
beretur, eamq; ipse iure Max. Pont. commonito pro-  
rostris populo, præiret. Submotaq; operariorum, ser-  
uorumq; turba, rerum actum diuisum antea in hiber-

Actus re- nos æstiuosq; menses coniunxit.

rum, pro  
actione  
cauiarum.

**I**nstituta & sanctiones eius. CA. XXIII.  
Iurisdictio: in de fidei cōmissis quotānis, et tunc

tum in urbe delegari magistratibus solitam in perpetuum, atq; etiam per prouincias potestatibus demandaui. Capiti Papiæ Popæ legis, à Tiberio Cæsare, quasi sexagenarij generare non possent, edicto abrogauit. Sanxit ut pupillis extra ordinem tutores à COSS. darentur, utq; hi, quibus à magistratibus prouincia interdicerentur, urbe quoq; & Italia submouerentur. Ipse quosdam nouo exemplo relegauit, ut ultra lapidem tertium uetaret egredi ab urbe. De maiore negotio acturus in curia, medius inter Cosulum sellas Tribunitio subsellio sedebat. Commeatus à Senatu peti solitos beneficij sui fecit.

Potestates, pro magistratibus.

Indulgentia et liberalitas eius. CAP. XXIII.

**O**Rnamenta consularia etiam procuratoribus ducentarijs indulxit. Senatoriã dignitatem reuocantibus, equestrem quoq; ademit. Latum clauum, quamuis initio affirmasset non lecturum Senatorem, nisi ciuis Rom. abnepotem, etiam libertini filio tribuit; sed sub conditione, si prius ab equite Rom. adoptatus esset. At sic quoq; reprehensionem uerens, etiam Appium Cæcum censorem, generis sui proauctorem, libertinorum filios in Senatum allegisse docuit, ignarus temporibus Appij, & deinceps aliquandiu libertinos dictos, nõ ipsos qui manumitterentur, sed ingenuos ex his procreatos. Collegio Quæstorũ pro stratura uiarum gladiatorum munus iniunxit.

X Deira,



Detrahit aq; Hostiensi et Gallica prouincia, curā erarū Saturni reddidit, quam medio tempore Prætores, aut utiq; tunc prætura functi sustinuerant. Triumphalia ornamenta Syllano filie suæ sponso nondum puberi dedit. Maioribus uerò natu, tam multis, tamq; facile, ut epistola communis legionum nomine extiterit, petentium, ut legatis consularibus simul cum exercitu & triumphalia darentur, ne causam belli quoquo modo quererēt. Aulo † Plautio etiam ouationē decreuit, ingressōq; urbem obuiam progressus, & in Capitolium eunti, & inde rursus reuertenti latus textit. Gabinio Secundo Caucis gente Germanica superatis, Caucici cognomen usurpare concessit.

† AL. Plan-  
cio.

Quædam ciuilia gesta & ordinationes eius.

CAP. XXV.

**E**questreis militiis ita ordinauit, ut post cohortem aliam: post alā, tribunatum legionis daret stipendiaq; instituit, & imaginariæ militiæ genus, quod uocatur super numerū, quo absentes, & titulo tenusungerētur. Milites domos senatorias salutandi causa ingredi, etiam patrum decreto prohibuit. Libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, publicauit. Ingratos, & de quibus patroni quererentur, reuocauit in seruitutē, aduocatisq; eorum negauit se aduersus liberos ipsorum ius dicturum. Cū quidam ægra et affecta mancipia in insulam Aesculapij tædie

D. CLAVDIVS CAESAR. 321

Redio medendi exponerent, omnes qui exponerentur, liberos esse sanxit, nec redire in ditionem domini, si conualuissent: quod si quis necare mallet quem, quam exponere, cædis crimine teneri. Viatores ne per Italiz oppida, nisi aut pedibus, aut sella, aut lectica transirent, monuit edicto. Puteolis, & hostie singulas cohortes ad arcendos incendiõrum casus collocavit. Peregrinæ conditionis homines vetuit usurpare Romana nomina, duntaxat gætulicæ. Ciuitatē Romanam usurpantes in cæpo Aesquilino securi percussit. Prouincias Achaiam, et Macedoniam, quas Tiberius ad curam suam transtulerat, Senatui reddidit. Lycijs ob exitiabiles inter se discordias libertatē ademit. Rhodijs ob pœnitentiã ueterum delictorũ reddidit. Iliensibus, quasi Romanæ gentis autoribus tributa in perpetuum remisit, recitata uetere epistola Græca Senatus populiq; Rom. Seleuco regi amicitiam et societatem ita demum pollicentis, si cõsanguineos suos Ilienses ab omni onere immunes præstitisset. Iudæos impulsore ¶ Chresto asidue tumultuantes Roma expulit. Germanorum legatis in orchestra sedere permisit, simplicitate eorum, & fiducia motus, quod in popularia deducti, cum animaduertissent Parthos et Armenios sedentes in Senatu, ad eadem loca sponte transferant, nihilo deteriore uirtutem, aut cõditionem suam prædicantes. Druidarum religionem apud

+ali. Chri  
sto.



Gallos diræ immanitatis, & tantum ciuibus sub Augusto interdictam penitus aboleuit. Contrà, sacra Eulcusina etiam transferre, ex Attica Romam conatus est. Templum quoq; in Sicilia Veneris Erycinæ uetustate collapsum, ut ex arario Po. Rom. reficeretur, autor fuit. Cum regibus foedus in foro itit, porca cæsa, ac uetere fecialiū præfatione adhibita. Sed et hæc & cætera, totumq; ad eò ex parte magna principatum non tam suo quàm uxorū libertorumq; arbitrio administravit, talis ubiq; plerumq; qualem esse cum aut expediret illis, aut liberet.

**Druidarum.** Druidæ fuerunt Gallorum doctores, religione & sapientia clari, & qui præfuerunt sacris & prophanis rebus iudicandis.

Sponsæ & uxores eius. CAP. XXVI.

**S**PONSAS admodum adolescens duas habuit, Aemiliam Lepidā Augusti proneptem, item Liviā Medullinam, cui cognomen & Camillæ erat, è genere antiquo Dictatoris Camilli. Priorem, q; parètes eius Augustum offenderant, uirginem adhuc repudiauit. Posteriori ipso die, qui erat nuptijs destinatus, ex ualitudine amisit. Vxores deinde duxit Plautiā Herculanillam triūphali, & mox Aeliā Petinam consulari patre. Cum utraq; diuortium fecit. Sed cū Petina ex leuibus offensis, cū Herculanilla ob libidinū probra, et homicidij suspicionē. Post has Valeriā Messalinam Barbati Messalæ cōsobrini sui filiam in matrimonium accepit.

D. CLAVDIVS CAESAR. 325

accepit. Quam cū comperisset super cætera flagitia atq; dedecora, C. Silio etiam nupsisse, dote inter auspices consignata, supplicio affecit, cōfirmavitq; pro concione apud pratorianos, + quatenus sibi matrimonia malè cederent, permansurū se in cœlibatu, ac nisi permāisset, nō recusaturū cōfodi manibus ipsorum. Nec durare ualuit, quin de cōditionibus cōtinuò tractaret, etiam de Petinæ, quā olim exegerat, deq; Lolie Paulinæ, quæ C. Cesari nupta fuerat. Verum illecebris Agrippinæ Germanici fratris sui filiæ perius osculi, et blanditiarū occasiones pellectus in amorem, subornauit proximo Senatu, qui censerent cogendum se ad ducendum eam uxorem, quasi Reipublice maxime interesset, dandamq; cæteris uenientialium coniugiorum, quæ ad id tempus incesta habebantur: ac uix uno interposito die, consecit nuptias, non repertis qui sequerentur exemplum, excepto libertino quodam, & altero primipilari, cuius officium nuptiarum & ipse cum Agrippina celebrauit.

Liberi & generi eius. CAP. XXVII.

**L**iberos ex tribus uxoribus tulit: ex Herculaniilla Drusum & Claudiā: ex Petina Antoniam: ex Messalina Octauiam, & quæ primo Germanicū, mox Britannicum cognominauit. Drusum Pompeium puberem amisit, pyro per lusum in sublime iactato, & hiatu oris excepto strangulatum, cui & ante paucos



dies filiam Sciani despondisset: quo magis miror fuisse qui traderent, fraude à Sciano necatum. Claudiam ex liberto suo Botere conceptam, quamuis ante quintum mensem diuortij natam, aliq; conceptam, exponi tamen ad matris ianuam, & nudam iussit abijci. Antoniam Cn. Pompeio Magno, deinde Fausto Sylla nobilissimis iuuenibus, Octauiam Neroni priuigno suo collocauit, Syllano antè desponsatam. Britannicum uigesimo imperij die, inq; secundo consulatu natum sibi paruum etiam tum, & militibus pro concione manibus suis gestas, et plebi per spectacula gremio, aut ante se retinens assidue commendabat, faustisq; omnibus eum acclamantium turba prosequeretur. E generis Neronem adoptauit. Pompeium atq; Syllanum non recusauit modò, sed & interemit.

Liberti ab eo prædilecti. CAP. XXVIII.

**L**ibertorum præcipuè suscepit Posidem spadonem, quem etià Britannico triumpho inter militares uiros hasta pura donauit. Nec minus felicem, quem cohortibus, & alis, prouinciæq; Iudææ præposuit, trium reginarum maritum. Et Harpocram, cui lectica per urbem uehendi, spectaculaq; publicè edendi ius tribuit. Ac super hos Polybium à studijs, qui sepe inter duos COS. ambulabat. Sed ante omnes Narcissum ab epistolis, & Pallantem à rationibus, quos decreto quoque Senatus non præmijs modò ingentibus,

bus, sed & quæstorij, prætorijq; ornamentis ornari libenter passus est. Tantum præterea acquirere, & rapere, ut querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurdè sit dictum, Abundaturum si à duobus libertis in consortium reciperetur.

Maleficia, opera libertorum & uxorum ab eo perpetrata. CAP. XXIX.

**H**is (ut dixi) uxoribusq; addictus, non principè se, sed ministrum egit. Compendio cuiusq; horum, uel etiam studio ac libidine, honores, exercitus, impunitates, supplicia largitus est: & quidem insciens plerunq; & ignarus. Ac ne singulatim † minima quæq; enumerem, reuocatas libertates eius, iudicia rescissa, suppositos aut etiam palàm immutatos datorum officiorum codicillos, Appium Syllanum consocerum suum, † Liuiasq; alteram Drusi, alteram Germanicæ filiam crimine incerto, nec defensione ulla data, occidit. Item Cn. Pompeium maioris filie uirum, & L. Syllanum minoris sponsum. Ex quibus Pompeius in concubitu dilecti adolescentuli confossus est. Syllanus abdicare se prætura ante quartum Calen. Ianuarias, moriq; initio anni coactus. Die ipso Claudij et Agrippinæ nuptiarum, in quinque & triginta Senatores, trecentosq; amplius equites Ro. tanta facilitate animaduertit, ut de nece consularis uiri renunciantem centurione, factum esse quod imperasset, negaret



quicquid se imperasse, nihilominus rem comprobaret, affirmatibus libertis, officio milites sanctos, quod ad ultionem imperatoris ultro procurrissent. Nam illud omnem fidem excefferit, quod nuptiis, quas Messalina cum adultero Silio fecerat, tabellas dotis et ipse consignauerit, indutus quasi de industria simularentur, ad auertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quedam ostenta portenderetur.

Pompeius in concubitu. In sacris & profanis literis memoria traditum est, saepe Deum incestus, scortationemque notabiliter puniuisse.

Forma et statura eius. CAP. XXX.

**A**utoritas, dignitasque formae non defuit uel stanti uel sedenti, ac praecipue quiescenti. Nam et prolixo, nec exili corpore erat. Et specie, canicieque pulchra, opimis ceruicibus. Ceterum et ingredientem destituebant poplites minus firmi, et remissa quid uel serio agentem multa dehonestabant. Risus indecens, ira turpior, spumante rictu, humentibus naribus: pleetra linguae titubantia, caputque tum semper, tum in quantum locumque actu uel maxime tremulum.

Plectra. Πλεκτρα, hoc est instrumentum quo a cytharædis fides uerberantur. Cuius locum obtinent partes quaedam in ore hominis.

Valetudo eius. CAP. XXXI.

**V**aletudine sicut olim graui, ita princeps pro spera usus est, excepto stomachi dolore. Quo se correptum etiam de consciscenda morte cogitasse dixit.

D. CLAVDIVS CAESAR. 327

Conuiuia, & alia gesta eius. CAP. XXXII.

Conuiuia agitauit & ampla & assidua, ac ferè patentissimis locis, ut plerunq; sexcenteni simul discumberent. Conuiuatus & super emissarium Fusci lacus, ac penè submersus, cum emissa impetu aqua redundasset. Adhibebat omni coenae & liberos suos cum pueris, puellisq; nobilibus, qui more ueteri ad fulcra lectorum sedentes uescerentur. Conuiuia, qui pridie scyphum aureum surripuisse existimabatur, reuocato in diem posterum, calicem fictilem apposuit. Dicitur etiam meditatus edictum, quo uenia daret, efflatum crepitumq; uentris in conuiuio emittendi, cum periclitatum quendam pra pudore ex contentia reperisset.

Flatum crepitumq; Retentus enim flatus recipit se in uacuas partes aliquas imbecilliores, & creat caecos morbos, quorum causae peritissimos etiam plerunq; fugiunt medicos.

Cibus, potus, sumnus, & luxuria eius, liber quoq; eiusdem de alea lusu.

CAP. XXXIII.

Cibi, uiniq; quocunq; & tempore & loco appetitissimus. Cognoscens quodam in Augusti foro Tutusq; nidore prandij, quod in maxima Martis <sup>† al. uictus</sup> aede Salij apparabatur, deserto Tribunali, <sup>† Al. ab-</sup> ascendit ad sacerdotes, uiaq; discubuit. Nec temerè unq; <sup>† scesit.</sup> triclinio abscepsit, nisi distentus ac madens, & ut sta-

X S tim sus



tim supino, ac per somnum hianti pinna in hos inde-  
retur, ad exonerandum stomachū. Somni breuissimi  
erat. Nam ante mediam noctem plerunq; uigilabat,  
ut tamen interdū nonnunquā in iure dicendo ob-  
dormisceret. uixq; ab aduocatis de industria uocē au-  
gentibus excitaretur. Libidinis in foeminas profusis-  
sima, mariū omnino expers. + Alea studiosissime lu-  
sit, de cuius arte librum quoq; emisit. Solitus etiam in  
† gestatorio ludere, ita essedo, alucoq; adaptatis, ne-  
lusus confunderetur.

† Ali. alea.  
+ ali. gesta-  
tione.

Sauitia & crudelitas eius. CAP. XXXIIII.

**S**Aeuum, & sanguinarium natura fuisse, magnis  
Sminimisq; apparuit rebus. Tormenta questio-  
num, poenasq; parricidarum representabat exige-  
batq; coram. Cum spectare antiqui moris supplicium  
Tiburi concupisset, & deligatis ad palum noxijs car-  
nifex deesset, accitum ab urbe uesperam usq; opperi-  
ri perseverauit. Quocunq; gladiatorio munere, uel  
suo, uel alieno, etiā fortē prolapsos iugulari iubebat,  
maximē retiaros, ut expirantiū faciem uideret. Cū  
par quoddam mutuis ictibus cōcidisset, cultellos sibi  
paruulos ex utroq; ferro in usum fieri sine mora ius-  
sit. Bestiaris, meridianisq; adeo delectabatur, ut etiā  
prima luce ad spectaculum descenderet, & meridie  
dimisso ad prandium populo prescderet, praterq;  
destinatos etiam leui, subitaq; de causa quosdam com-

mita

mitteret: de fabrorum quoq; ac ministrorum, atq; id genus numero, si aut ἀυτόματον, uel pegma, uel quid tale aliquid parum cessisset. Induxit & unum ex nomenclatoribus suis, sicut erat togatus.

Meridianisq;.) Hoc est, gladiatoribus qui digladiabantur meridiei tēpore. Qui singulari erant patientia & crudelitate.

ἀυτόματον.) Automata sunt instrumēta facta, quæ sine nostro labore mouentur.

Timiditas ab dissidentia eius. CAP. XXXV.

**S**ed nihil æquè quàm timidus, ac diffidens fuit. Primis imperij diebus, quanquã (ut diximus) iactator ciuilitatis, neq; conuiuia inire ausus est, nisi ut spiculatorum cum lanceis circumstarent, militesq; uice ministrorum fungerentur: neq; ægrum quenq; uisitauit, nisi explorato prius cubiculo, culcitrisq; & stragulis prætentatis & excusis: reliquo autem tempore saluatoribus scrutatores semper apposuit, & quidem omnibus, & acerbissimos. Serò enim ac uix remisit, re sceminæ, prætextatiq; pueri, & puellæ contrectarentur, & ne cuius comiti, aut librario calamiariæ, aut graphiariæ thecæ adimerentur. Motu ciuili, cum eum Camillus non dubitans etiam citra bellum posse terreri, contumeliosa & minaci, & contumaci epistola cedere imperio iuberet, uitamq; otiosam in priuata re agere, dubitauit, adhibitis principibus uiris, an obtemperaret.

Timor insidiarum, & alia gesta eius.

CAP.



**Q**UASDÀ insidias temerè delatas adeò expauit, ut deponere imperium tentauerit. Quodam (ut suprà retuli) cum ferro circa sacrificantem se depresso, Senatum per præcones properè conuocauit, lachrymisq; et uociferatione miseratus est conditionem suam, cui nihil tuti usquam esset, ac diu publico abstinuit. Messalinæ quoq; amorem flagrantissimum, non tam indignitate contumeliarum, quàm periculi metu abiicit, cum adultero Silio acquiri imperium credidisset. Quo tempore foedum in modum trepidus ad castra confugit, nihil tota uia, quàm esset ne sibi saluum imperium, requirens.

Pœnæ ob leues suspitiones innocentibus illatæ.

**N**ULLA adeò suspitio, nullus autor tam leuis extitit, à quo non mediocri scrupulo iniecto ad cauendum ulciscendumq; compelleretur. Vnus ex litigatoribus, seducto in salutatione affirmauit se uidisse per quietem occidi eum à quodā. Deinde paulò post quasi percussorem agnosceret, libellum tradentem aduersarium suum demonstrauit. Confestimq; is pro deprehenso ad pœnā raptus est. Pari modo oppressum ferunt Appium Syllanum: quem cum Messalina et Narcissus conspirassent perdere, diuisis partibus, alter ante lucē similis attonito, patroni cubiculum

luan irrupit, affirmans somniasse se, uim ei ab Appio  
 illatam: altera in admirationem formata, sibi quoque  
 eandem speciem aliquot iā noctibus obuersari retu-  
 lit. Nec multo post ex composito irrumperet Appius  
 nuntiatus, cui pridie ad id tēporis, ut adesset, præce-  
 ptum erat, quasi planè representaretur somnij fides,  
 accersi statim ac mori iussus est. Nec dubitauit postero  
 die Claudius ordinem rei gestæ perferre ad Sena-  
 tum, ac liberto gratias agere, quòd pro salute sua eti-  
 am dormiens excubaret.

Formata  
 in admira-  
 tionem, &  
 simulans.

Iracundia & stultitia eius. CAP. XXXVIII.

**I**Ræ atq; iracundiæ cōsciis sibi, utrunq; excusauit  
 edicto. Distinxitq; pollicitus alteram quidem bre-  
 uem & innoxiam, alteram non iniustā fore. Hostien-  
 sibus, quia sibi subeunti Tiberim scaphas obuiam non  
 miserint, grauius correptis, eaq; cū inuidia, ut in or-  
 dinem se coactum conscriberet, repente tantum non  
 satisfaciētib; ueniam dedit. Quosdam in publico  
 parum tempestiue adcentes manu sua repulit. Item  
 scribam questorium, itemq; prætura functum sena-  
 torem inauditos et innoxios relegauit, quòd ille ad-  
 uersus priuatum se intemperantius affuisset, hic in æ-  
 dilitate inquilinos prædiorum suorum contra uetitū  
 coacta uendentes multasset, uillicunq; interuenien-  
 tem flagellasset. Qua de causa etiam coërtionem po-  
 pinarum ædilibus ademit, At ne stultitiam quidem  
 suam



suam reticuit, simulatâq; à se ex industria sub Caio, quod aliter euasurus, peruenturusq; ad susceptam stationem non fuerit, quibusdâ oratiunculis testatus est.

† al. ἰπα-  
βάσις.

Nec antè persuasit, quam intra breue tempus liber editus sit, cui indixerat  $\mu\omega\sigma\omega\pi$  †  $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\sigma\alpha\iota\varsigma$  ig. Argumentum autem, stultitiam neminem fingere.

$\mu\omega\sigma\omega\pi$   $\acute{\alpha}\nu\acute{\alpha}\sigma\alpha\iota\varsigma$ .) Hoc est, stultorum resurrectio.

Obluia, & alia gesta eius. CAP. XXXIX.

**I**Nter cetera in eo mirati sunt homines et obliuio-  
nem & inconsiderantiam, uel ut Græcè dicā  $\mu\epsilon$   
 $\tau\iota\omega\sigma\iota\alpha\pi$  &  $\acute{\alpha}\sigma\lambda\epsilon\psi\iota\alpha\pi$ . Occisa Messalina, paulò pòst  
quàm in triclinio decubuit, cur domina non ueniret,  
requisiuit. Multos ex ijs, quos capite damnauerat, po-  
stero statim die & in concilium, et ad aleæ lusum ad-  
moueri iussit, & quasi morarentur, ut somniculosos  
per nuntium increpuit. Ducturus contra fas Agrip-  
pinam uxorem, non cessauit omni oratione filiam &  
alumnâ, & in gremio suo natam, atque educatam  
prædicare. Asciturus in nomen familiæ Neronem,  
quasi parum reprehenderetur, quòd adulto iam filio  
priuignum adoptaret, identidem diuulgauit nemi-  
nem unquam per adoptionem familiæ Claudie in-  
sertum.

$\mu\iota\tau\epsilon\omega\sigma\iota\alpha\pi$  &  $\acute{\alpha}\sigma\lambda\epsilon\psi\iota\alpha\pi$ .) Id est, stupiditatem & he-  
betudinem.

Sermo

Sermones uerò, rerumq; tantam saepe negligētiam ostendit, ut nec quis, nec inter quos, quo uere tempore ac loco uerba faceret, scire ac cogitare existimaretur. Cum de uinarijs, aut uinarijs ageretur, exclamauit in curia: Rogo uos q; potest sine offula uiuere? Descripsit abundantiam ueterum tabernarum, unde solitus esset uinū olim & ipse petere. De Quaestore quodam candidato inter causas suffragationis suae posuit, quòd pater eius frigidam aegro sibi tempestiue dedisset. Inducta teste in Senatu, Haec, inquit, matris meae liberta, & ornatrix fuit: sed me patrum semper existimauit. Hoc ideo dixi, quòd quidam sunt adhuc in domo mea, qui me patrum non putant. Sed & pro tribunali, Hostiensibus quiddam publicè orantibus, cum excandisset, nihil habere se nociferatus est, quare eos demereatur, si quem aliū, & se liberum esse. Nam illa eius quotidiana, & planè omnium horarum, & momentorum erant, quid ego tibi Theogonius uideor, et λογιστὰς & multa q; talia etiā priuatis deformia, nedum principi, neq; infacundo, neq; indocto, imò etiam pertinaciter liberalibus studijs dedito.

Vinarijs.) Vinarios uocant qui emunt uinū, & uendunt rursus.

Theogonius.) Hoc est, ex dijs prognatus.



Αογίβρατ (Θ.) Hoc est, præcipuè cōpos rationis. Aut disertissimus.

Libri & opuscula per eum edita. CAP. XLI.

**H**istoriā in adolescentia hortāte T. Liuii, Sulpitio uerò Flauo etiam adiūate, scribere aggressus est. Et cum primum frequenti auditorio commisisset, agrè perlegit, refrigeratus sæpe à semctipso. Nā cum initio recitationis defractis compluribus subsellijs, obesitate cuiusdā risus exortus esset, ne scdato quidē tumultu temperare potuit, quin ex intervallo subinde facti reminisceretur, cachinnosq; reuocaret. In principatu quoq; & scripsit plurimum, & assiduè recitauit per lectorem. Initium autem sumpsit historiæ post cædem Cæsaris Dictatoris. Sed et transijt ad inferiora tempora, cœpitq; à pace ciuili. Cum sentiret neq; liberè, neque uerè sibi de superioribus tradēti potestatem relictam, correptus sæpe et à matre, & ab auia: prioris materie duo uolumina, posterioris unum & XL. reliquit. Composuit & de uita sua octo uolumina, magis ineptè, quàm ineleганter. Item Ciceronis defensionē aduersus Asinij Galli libros satis eruditam. Nouas etiam commentus est literas tres, ac numero ueterum quasi maximè necessarias addidit. De quarum ratione cum priuatus adhuc uolumen edidisset, mox princeps non difficulter obtinuit, ut in usu quoque promiscuo essent. Extat talis

talī scriptura in plerisque libris, ac diurnis titulisq;  
operum.

Studium eius in literis Græcis.

CAP. XLII.

**N**Ec minore cura Græca studia secutus est amo  
rē, præstantiamq; linguæ occasione omni pro  
fessus. Cuidam Barbaro Græcè et Latine differenti,  
cum utroq; inquit, sermone nostro sis † peritus. Et in  
commendanda patribus conscriptis Achaia, gratam  
sibi prouinciam ait cōmunium studiorum cōmercio.  
Ac sepe in Senatu legatis perpetua oratione respon  
dit. Multum uerò pro tribunali etiam \* Homericis  
locutus est uersibus. Quoties quidem hostem uel in si  
diatorem ultus esset, excubitori Tribuno signum de  
more poscenti non temere aliud dedit, quàm,  
Αὐτὰρ ἐπαμύνει δὲ ὅτε τις τρώεσσι χαλεπαίνει.  
Deniq; & Græcas scripsit historias Tyrrenicon  
XX. Carchedoniacon VIII. Quarum causa ueteri  
Alexandriæ Museo additum ex ipsius nomine, insti  
tutumq; ut quotannis in altero Tyrrenicon libri, al  
tero Carchedoniacon diebus statutis, uelut in audi  
torio recitarentur toti à singulis per uices.

† ἄνδρα.) Virum ulcisci, quando prior aliquis in  
iuriam fecerit.

† τυρρηνικῶν.) (Id est, Tyrrenicam historiam.

χαρχηδονικῶν.) Hoc est, Carthagenensium facta.

Y Pœnitens



Pœnitentia de matrimonio Agrippinae, & adoptione Neronis. CAP. XLIII.

**S**Vb exitu uitæ signa quædam nec obscura pœnitentis de matrimonio Agrippinae, deq; Neronis adoptione dederat. Siquidē cōmemorantibus libertis ac laudantibus cognitionem, qua pridie quandā adulterij ream condemnauerat, sibi quoq; in fatis esse iactauit omnia impudica, sed nō impunita matrimonia. Et subinde obuiū sibi Britannicū arctius complexus, hortatus est ut cresceret, rationemq; à se omnium sanctorum acciperet. Græca insuper uoce persecutus, ὄψο δ' ἐπιγεται. Cumq; impubi, teneroq; adhuc, quando statura permitteret, togam dare destinasset, adiecit ut tandem Pop. Ro. uerum Cæsarem habebat, ὄψο δ' ἐπιγεται. Id est, Amor cogit, seu adducit.

Testamentum eius & mors. CAP. XLIIII.

**N**ON multoq; post testamentum etiam conscriptum, ac signis omnium magistratum obsignatum. Prius igitur quàm ultra progredetur, præuentus est ab Agrippina quam præter hæc consciã quoq; nec minus delatores multorum criminum arguebant. Et ueneno quidem occisum conuenit: ubi autem, & per quem dato, discrepat. Quidam tradunt, epulanti in arce cum sacerdotibus, per Halotū spadonem prægustatorē: Alij domestico cōuiuio, per ipsam Agrippinam, quæ boletum medicatum auidissimo ciborum talium

talium obtulerat. Etiam de subsequentibus diuersa fama est. Multi statim hausto ueneno obmutuisse aiunt, excruciatumq; doloribus nocte tota, defecisse prope lucem. Nonnulli inter initia consopitum, deinde cibo affluente euomuisse omnia, repetitumq; toxico, incertum pulvere addito, cum uelut exhaustum refici cibo oporteret, an immisso per clysterem, ut quasi abundantia laboranti etiam hoc genere egestionis subueniretur.

Mors eius celata, tempus mortis & funus.

## CAP. XLV.

Mors eius celata est, donec circa successorem omnia ordinarentur. Itaque & quasi pro aegro adhuc uota suscepta sunt, & inducti per simulationem concedi, qui uelut desiderantem oblectarent. Excessit III. Idus Octobris, Asinio Marcello, Aelio Auiola COSS. LXIIII. etatis, imperij XIII. anno. Funeratusq; est solenni principum pompa, & in numerum deorum relatus. Quem honorem à Nerone destitutum, abolitum que recepit mox per Vespasianum.

Præsagia de morte eius. CAP. XLVI.

Præsagia mortis eius præcipua fuerunt, exortus crinitæ stellæ, quæ Cometen uocant, tactumque de cælo monumentum Drusi patris. Et quòd eodem anno ex omnium magistratum genere pleriq;



mortem obierant. Sed ipse nec ignorasse, aut dissi-  
mulasse ultima uitæ suæ tempora uidetur, aliquot qui-  
dem argumētis. Nam & cum COS S. designaret, ne-  
minem ultra mensem, quo obiit, designauit. et in Sena-  
tu, cui nouissimè interfuit, multum ad concordiam li-  
beros suos cohortatus, utriusq; etatē suppliciter pa-  
tribus commendauit. Et in ultima cognitione pro tri-  
bunali accessisse se ad finem mortalitatis, quanquam  
abominantibus qui audiebant, semel atque iterum  
pronunciauit.

## C SVETONII TRAN- QVILLI.

Nero Claudius Caesar.



**F**XGENTE Domitia duæ fa-  
milie claruerunt Caluinorum, &  
Aenobarborum. Aenobarbi auto-  
rem originis, itemq; cognominis  
habent L. Domitium: cui rure quon-  
dam reuertenti iuuenes gemini augustiore forma  
ex occurſu imperaſſe traduntur, nuntiaret Sena-  
tui, ac populo uictoriam, de qua incertum adhuc  
erat: atque in fidem maiestatis adeo permulſiſſe ma-  
las ut è nigro rutilum, ariq; aſimilem capillum red-  
derent. Quod inſigne manſit & in poſteris eius, ac  
magna pars rutila barba fuerunt. Eunſti autem con-  
ſulatia